

The *Chrysostomus Latinus in Mattheum* Online (CLIMO) Project
(<https://climo-project.wlu.ca>)

Omelia XXVII. in Mattheum Iohannis Chrysostomi interprete Burgundio
(BAV MS Vat. lat. 383, ff.101ra-103va)

Et ueniens ihesus in domum petri, uidit socrum eius iacentem febricitantem, et tetigit manum eius, et dimisit eam febris, et surrexit et ministrabat ei.

Marcus autem et confestim ait, apposuit, uolens et tempus monstrare. Hic autem solum signum posuit, tempus autem non insinuans. Et alii quidem aiunt, quoniam et rogauit eum que iacebat, hic autem et hoc **siluit**. Hoc autem non est dissonantiae. Sed hoc quidem uelocitatis, hoc autem diligentis expositionis. Sed cur intrauit in domum petri? Michi uidetur cibus assumpturus. Hoc denique significauit dicens, surrexit, et ministrabat ei. Apud discipulos autem diuertebat, sicut et apud matheum, quando eum uocauit, honorans eos, et audiores ex hoc faciens. Tu autem michi intende, et hic petri ad ipsum reuerentiam. Habens enim socrum domi iacentem, et febricitantem ualde, non traxit eum in domum, sed expectauit et doctrinam compleri, et alios curari uniuersos, et tunc eum intrantem rogauit, ita ut ab exordio erudiebatur, quae aliorum erant, sibi ipsi preponere. Quocirca neque ipse eum inducit, sed ipse sponte adiuit. Postquam dixit centurio, non sum dignus ut sub tectum meum intres. Monstrans quantum largiebatur discipulo. Et nimirum excogita, quales erant domus piscatorum horum. Sed tamen non dedignatus est, sub uilia tuguria eorum intrare, erudiens per omnia humanum conculcare tumorem. Et quandoque quidem uerbis curat solum, quandoque autem et manum extendit, quandoque autem utraque hec facit in usum ducens medicinam. Non enim uolebat semper eum **superhabundantia** miracula facere. Oportebat enim interim latere, et maxime in discipulis. Etenim ex multa uoluptate omnia **diuulgabant**, et hoc manifestum ex his quibus et postquam uenit in montem, necesse habuit, precipere eis, ut nichil dicerent. Tangens igitur corpus, non febrim extinxit solum, sed et puram sanitatem tribuit. Quia enim egritudo uilis erat, modo curationis suam uirtutem ostendebat. Quod non utique operaretur ars medicinalis. Noscitis enim quoniam et post erectionem febrium, multi necessitas est temporis rursus laborantibus, ut ad pristinam sanitatem restituantur. Sed tunc simul omnia facta sunt, **et non hic solum**, sed et in mari. Neque enim illic uentos quiescere fecit solum et tempestatem, sed et saluum sistit. Quod et istud extraneum erat. Et si enim fluctuatio terminata fuerit, usque ad multum temporis aquae concutiuntur. Sed non in christo ita, sed simul omnia soluebantur. Quod igitur et in muliere factum est. Propter hoc et innuens id euangelista dixit. Surrexit et ministrabat ei. Quod et christi uirtutis signum erat, et dispositionis mulieris quam circa christum ostendebat, et aliud autem aliquid cum his, hinc utique inspiciamus. Quoniam et aliorum fide largitur christus aliorum directionem. Etenim et hic alii eum rogauerunt, ut et in puero centurionis. Largitur autem cum non infidelis fuerit qui curandus est, sed uel propter egritudinem non potest ad ipsum uenire, uel propter ignorantiam nichil magnum de ipso imaginatur, uel propter aetatem intemporaneam. Sero autem facto attulerit ei demoniacos multos, et proiecit spiritus ab eis uerbo. Et male habentes curauit, ut impleretur quod a propheta dictum est, quoniam infirmitates nostras accepit, et egritudines portauit. Vides multitudinem in fidem auctam iam? Neque enim tempore impellente recedere patiebantur. Neque enim intemporaneum esse estimabat, in uespere adducere infirmos ei. Tu autem michi intende quantam multitudinem curatam, transcurrunt euangelistae. Non unumquemque dicentes nobis et enarrantes, sed uno uerbo pelagus ineffabile miraculorum superuenientes. Deinde ut non rursus magnitudo miraculi,

Commented [ND1]: [fol.101rb]

Commented [ND2]: ostentatione *add. super lin.*

Commented [ND3]: uel diuulgarunt *add. super lin.*

Commented [ND4]: [fol.101va]

in incredulitatem immittat, si tamen plebem tantam, et uarias egritudines, in uno temporis momento, soluit et emendauit, inducit prophetam testantem his quae fiebant, magnam ubique nobis existentem demonstrationem quae est a scripturis, ostendens et signis ipsis non minorem. Et ait quoniam et esaias haec dixit, quoniam infirmitates nostras accepit, et egritudines portauit. Non dixit soluit, sed accepit et portauit, quod de peccatis magis a propheta dictum esse michi uidetur, iohani concorditer dicenti, ecce agnus dei, qui leuat peccatum mundi. Qualiter igitur hic id de egritudinibus ponit euangelista? uel secundum hystoriam hoc testimonium legens, uel ostendens, quoniam ampliora egritudinum, ex peccatis sunt animalibus. Si enim capitulum id est ipsa mors ex peccatis habuit radicem et conditionem, multo magis et egritudinum multae. Quia et hoc ipsum id est passibiles esse nos, inde gestum est. Videns autem ihesus multas turbas circa seipsum, iussit eas abire ultra. Vides rursus ostentationis euitationem? Alii enim aiunt, quoniam demones increpabat, ut non dicant quoniam ipse est. Hic autem ait, quoniam turbas expellebat. Faciebat autem hoc, et simul nos moderata sapere erudiens, et simul inuidiam iudaicam mitigans. Et docet nos nichil ad ostentationem facere. Non enim utique corpora solum curabat, sed et animam emendabat, et philosophiam erudiebat, per utraque monstrans seipsum, et in soluendo egritudines, et in faciendo nichil ad ostentationem. Etenim erant ei affixi amantes eum, et ammirantes, et uidere in ipsum uolentes. Quis enim utique desisteret a talia miracula operante, quis non utique et faciem uellet simpliciter uidere, et os talia loquens? Neque enim miraculorum operator erat mirabilis solum, sed et apparens simpliciter multa plenus erat gratia. Et hoc propheta ostendens dixit, speciosus pulcritudine super filios hominum. Si autem esaias dicit, non habebat speciem neque pulcritudinem, uel ad deitatis gloriam ineffabilem, et inenarrabilem hoc ait, uel quae in passione contigerunt, enarrans, et dehonorationem quam in tempore crucis sustinuit, et uilitatem quam in totam uitam ostendit per omnia. Non prius autem iussit abire ultra, donec curauit. Certa enim utique neque sustinuissent. Quemadmodum igitur in monte non contionanti, astiterunt solum, sed et silentio existente sequebantur, ita et hic non miracula operanti adsidebant, sed et quiescenti, rursus et a facie, multam utilitatem suscipientes. Si enim moyses glorificatam faciem habebat, et stephanus sicut angeli, intellige communem dominatorem qualem decensem apparere tunc. Fortassis multi nunc in desiderium inciderunt, uidendi imaginem illam. Sed si uouerimus, multo meliorem uidebimus illa. Si enim cum libera presentia presentem expleuerimus uitam, in nubibus eum suscipiemus. Obuiantes immortalis et incorruptibili corpore. Vide autem qualiter eos non simpliciter abigit, ut non offendat. Non enim dixit recedite, sed ultra iussit abire. Expectationem dans eundi omnino illic. Et turbae quidem tantam ostenderunt dilectionem. Et cum multa sequebantur dispositione. Vnus autem aliquis, pecuniarum seruus, et multam habens elationem, adueniens ait. Didascale sequar te quocumque abieris. Vides quantus est tumor? Ceu enim non dignum estimans cum turba annumerari, sed ostendens quoniam super multos est ipse, ita aduenit. Tales enim sunt mores iudaici. Intemporanea enim pro palatione sunt repleti. Ita et alius postea omnibus silentibus ipse resiliens ait. Quod mandatum est primum? Sed tamen non increpauit dominator intemporaneam hanc liberam pro palationem. Erudiens nos, et hos tales ferre. Propter hoc non arguit manifeste, eos qui pernitiosa consiliantur. Ad elationem autem eorum respondet. Ipsi solis derelinquens scire redargutionem, et dupliciter eis proficiens, et in manifestando quoniam nouit ea quae sunt in conscientia, et in largiendo latere post ostentationem hanc, et dare rursus si uouerint seipsos restaurari. Quod utique et in isto facit. Hic enim uidens multa signa, et multos attractos, existimauit pecuniosus effici ex talibus miraculis. Ideoque et sequi studebat. Et unde hoc manifestum? a responsione quam christus fecit. Non ad interrogationem uerborum, sed ad consilium mentis obuians. Quid enim ait, pecunias expectas sequens me congregare? Deinde non

Commented [ND5]: [fol.101vb]

Commented [ND6]: uel materiam add. super lin.

Commented [ND7]: [fol.102ra]

Commented [ND8]: uel suspensionem add. super lin.

Commented [ND9]: affectione add. super lin.

Commented [ND10]: uel dedignans add. super lin.

Commented [ND11]: [fol.102rb]

uides quoniam neque diuersorium michi est, neque tantum quantum est auibus. Vulpes enim cauernas habent, et uolucres caeli habitationes, filius autem hominis non habet ubi caput clinet. Haec autem non erant auertentis, sed arguentis quidem perniciosum consilium. Tribuentis autem si uellet, cum tali expectatione sequi, et ut discas eius perniciem. Audiens haec et correptus, non dixit paratus sum sequi. Sed et in multis aliis locis hoc uidetur faciens christus. Manifeste quidem non arguit, a responsione autem ostendit **consilium** aduenientium. Etenim illi qui dicit didascale bone, et existimanti per blanditias eum attrahere, ad **consilium** respondit dicens, quid me dicis bonum? nullus bonus, nisi unus deus. Et quando dixerunt ei, ecce mater tua, et fratres tui, querit te, quia humanum aliquid passi sunt, non audire aliquid utilium uolentes, sed ostentari quoniam attinent ei, et ex hoc uane gloriari audi quid ait, que est mater mea, et qui sunt fratres mei? Et ipsis rursus fratribus dicentibus ei, manifesta te ipsum, et uolentibus hinc uane gloriari, dixit, uestrum tempus ait, semper est paratum, meum autem non dum adest. Sed et a contrariis hoc facit, ut in nathanael dicens. Vide uere israelitam in quo dolus non est. Et rursus abeuntes annuntiate iohanni, quae audistis et uidistis. Neque enim hic aduerba, sed ad **consilium** eius qui miserat respondit, sed et plebi rursus similiter ad conscientiam loquitur dicens. Quid existis in desertum uidere? quia enim decens erat eos, ut deleui quodam et facile uentilato disponi de iohanne, hanc corrigens suspitionem ait. Quid existis in desertum uidere, calamum auento agitatam, aut hominem in mollibus uestimentis circumamicum? Per utraque ostendens **quoniam** neque ex se est, facile uentilatus, neque a lasciuia aliqua mollietur. Sic itaque et hic, ad **consilium** responsionem facit. Et uide qualiter, et in isto multam moderationem ostendit. Neque enim dixit quoniam habeo quidem, **contempno** autem. Sed quoniam non habeo, uidet quanta est cum condescensione diligentia? sicut cum comedat et bibat, cum uideatur ex aduerso iohanni faciens, et hoc iudeorum gratia salutis facit. Magis autem orbis terrarum uniuersi. Simul quidem hereticorum obstruens ora simul autem et eos qui tunc erant ex superhabundantia uolens **euellere**. Quidam autem alius ait dixit ei, domine sine me prius abire, et sepelire patrem. Vides differentiam? qualiter hic quidem inuerecunde ait, sequar te quocumque abieris. Hic autem, etsi sanctam rem petens, ait. Sine me. Sed non siuit, sed ait, dimitte mortuos sepelire mortuos suos. Tu autem me sequere. Vbique enim **consilio** intendebat. Et cur non siuit ait? quoniam, et erant qui completuri erant illud, et non erat insepultus remansurus, et hunc a magis necessariis seducere non oportebat. Dicens autem suos mortuos, monstrat quoniam hic non est eius mortuus. Etenim infidelium sicut ego estimo, erat qui defunctus erat. Si autem ammiraris iuuenem quoniam pro negotio ita necessario interrogauit ihesum, et non spontaneus abiuit, multo magis ammirare, quoniam et prohibitus permansit. Numquid igitur non erat ingratitude ultimae ait, non adire cum sepeliatur pater? siquidem a desidia fecisset, ingratitude esset. Si autem ut non intercideret negotium magis necessarium, **abire maxime** insipientiae esset ultimae. Etenim ihesus prohibuit eum non iubens contempnere honorem qui est ad eos qui genuerunt, sed monstrans quoniam nichil caelestibus negotiis, nobis magis necessarium esse oportet, et quoniam **cum** studio uniuerso his iungi oportet, et neque parum tardare, etsi ualde ineuitabilia, et incitantia fuerint, quae attrahunt. Quid enim magis necessarium erit quam sepelire patrem? Quid autem facilius? neque enim tempus multum consumere erat. Si autem neque quantum ad sepulturam patris est tempus, consumere oportet, quando deficere a spiritualibus non est **fallax**? **Excogita** quo utique erimus digni, qui omni tempore desistimus a negotiis christum decentibus, et quae ualde uilia sunt, necessariis preponimus, et nullo instante pigritamur, sed et hinc doctrine philosophiam ammirari oportet, quoniam uehementer eum affixit huic sermoni, et cum tanto a decem milibus eripuit malis. Puta a luctibus et meroribus, et ab his quae hinc expectantur. Post sepulturam enim necesse iam erat, et testamenta circumscrutari, et hereditatis **possessionem**, et

Commented [ND12]: mentem *add. super lin.*

Commented [ND13]: mentem *add. super lin.*

Commented [ND14]: uel mentem *add. super lin.*

Commented [ND15]: [fol.102va]

Commented [ND16]: uel mentem *add. super lin.*

Commented [ND17]: domum *add. super lin.*

Commented [ND18]: uel attrahere *add. super lin.*

Commented [ND19]: uel menti *add. super lin.*

Commented [ND20]: hoc id est *add. super lin.*

Commented [ND21]: multum *add. super lin.*

Commented [ND22]: [fol.102vb]

Commented [ND23]: numquam *add. super lin.*

Commented [ND24]: Morale xxviii. quoniam nichil differunt a mortuis, qui in lasciuia et potentatu sunt *notum in marg.*

Commented [ND25]: uel diuisionem *add. super lin.*

alia uniuersa quecumque haec secuntur. Et ita fluctuationes ex fluctuationibus ei succedentes, a longe a ueritatis abducebant portu. Propterea ipsum trahit, et sibi affigit. Si autem adhuc ammiraris, et tumultuaris quoniam non concessus est ire ad sepulturam patris, excogita quoniam multi eos qui male habent, etsi pater, etsi mater fuerit, etsi puer, etsi uniuersaliter quicumque necessariorum qui defunctus est, non dimitunt discere, neque ad monumentum sequi. Neque incusamus his eos crudelitatis, neque inhumanitatis, et ualde decenter. Contrarium enim utique crudelitatis esset id est ita dispositos ad luctum educere. Si autem necessarios lugere, et conteri mentem est malum, multo magis abduci a spiritualibus sermonibus. Propter hoc utique et alio dixit. Nullus mittens manum suam in aratrum, et uersus retro, directus est in regno caelorum. Etenim multo melius est regnum diuulgare, et alios euellere a morte, quam mortuum qui in nullo inde utilitatem habet sepelire, et maxime cum fuerint qui uniuersa complent. Nichil igitur aliud hic discimus, quam quoniam neque contingens tempus perdere oportet, etsi decem milia que prouocant fuerint, sed omnibus et maxime necessariis ipsis spiritualia preponere, et scire quid quidem est uita, quid autem mors. Multi enim et eorum qui uiuere estimantur, a mortuis nichil differunt, cum in malitia uiuant. Magis autem et illis, hii deteriores sunt. Qui enim moritur ait, iustificatur a peccato, hic autem seruit peccato. Ne enim michi hoc dicas, quoniam a uermibus non comeditur, neque in tumulo iacet, neque clausit oculos, neque institis ligatus est. Etenim hec difficiliora sustinet eo qui mortuus est, non uermibus eum comedentibus sed feris uehementius, passionibus animae eum discerpentibus. Si autem aperiunt oculos, et hoc multum deterius est rursus quam claudere. Qui enim mortuorum sunt oculi, nichil uident perniciosum. Hic autem decem mille sibi ipsi congregat egritudines apertis suis oculis, et hic quidem in tumulo iacet ad omnia immobilis existens. Hic autem in sepulchro suffossus est, decem milium egritudinum, sed corpus eius putridum non uidet? Et quid hoc, ante corpus enim eius, anima corrupta est, et perit, et ampliorem sustinet sanie. Hic enim per decem putruit dies. Hic autem per uniuersam uitam foetorem spirat. Os habens cloacis immundius, quare tantum ab eo differt ille, quantum hic quidem, corruptionem quae est a natura sustinet, hic autem cum illa et sanie que est, a prodigalitate inducit, decem mille per unam quamque diem, excogitans conditiones corruptionis, sed super equum fertur, et quid hoc? Etenim ille in lectulo, et quod utique difficilium est, illum quidem cum soluitur, et putrescit, nullus uidet, sed habet tumulum uelum, hic autem foetens ubique circumfertur, sicut in sepulchro, in corpore, mortuam animam circumferens. Etsi nimirum possibile esset lasciuientis uiri animam uidere, et in malitia uiuentis, uideres utique quoniam multum melius est, in sepulchro iacere ligatum, quam catenis peccatorum constringi, et lapidem habere superpositum, quam graue opertorium insensibilitatis. Ideoque maxime decet eos qui his mortuis attingunt, quia hii insensibiliter dispositi sunt, accedere pro ipsis ad iesum, quemadmodum maria tunc fecit in lazaro. Etsi foetens fuerit, etsi quadrumanus fuerit, ne diffidas, sed accede, et lapidem aufer primum. Etenim tunc uidebis iacentem sicut in sepulchro, et institis ligatum. Etsi uultis magnorum quendam et illustrium, in medium ducamus, sed ne formidetis. In nominatim enim dicam hoc exemplum. Magis autem etsi denominationem dicerem, neque ita timere oporteret. Quis enim aliquando mortuum formidauit? Etenim quecumque ages, manet mortuus existens. Mortuus autem uiuenti neque in paruo, neque in magno iniusticiam facere potest. Videamus igitur caput eorum ligatum. Etenim cum inebriantur continue, quemadmodum mortui pluribus illis opertoriis et institis, ita omnes sensus recluduntur et ligantur. Si autem uis et manus uidere, uidebis et has uentri ligatas, sicut deficientium, et constrictas non institis, sed quod multo difficilium est, auaritia uinculis. Non enim dimittit eas illa, ad elemosinam extendi, neque ad aliam aliquam talium directionum, sed mortuorum inutiliores operatur. Vis et pedes uidere compeditos? uide eos qui rursus constricti sunt sollicitudinibus, et propter hoc nunquam potentes

Commented [ND26]: uel egrotantur add. super lin.

Commented [ND27]: filius add. super lin.

Commented [ND28]: [fol.103ra]

Commented [ND29]: alii add. super lin.

Commented [ND30]: uel quodlibet add. super lin.

Commented [ND31]: uel materias add. super lin.

Commented [ND32]: uel uelamen add. super lin.

Commented [ND33]: [f.103rb]

Commented [ND34]: uel preclusionem add. super lin.

Commented [ND35]: malum add. super lin.

in domum domini currere. Vidisti mortuum? uide et sepulchrum. Quis igitur est sepulchrorum horum? Diabolus diligenter eos circumstringens et non dimittens iam hominem, hominem apparere, sed lignum siccum. Vbi enim non est oculus, non manus, non pedes, non aliud aliquid talium, qualiter qui talis est homo apparebit? ita et animam eorum fasciis inuolutam est uidere, et idolum magis quam animam existentem. Quia igitur insensibiliter hii disponuntur mortui effecti, accedamus pro eis ad iesum, rogemus resuscitare, auferamus lapidem, soluamus institas. Si enim lapidem abstuleris, hoc est insensibilitatem que est ad mala, uelociter et educere eos poteris ex monumento. Educens autem facilius erues a uinculis. Tunc te noscet christus cum resuscitatus fueris, cum solutus fueris, tunc te et ad cenas uocabit suas. Quicumque igitur christi estis amici, quicumque discipuli, quicumque eum qui obiit diligitis, accedite ad iesum, et deprecamini. Etsi enim decem milibus plenus est putredinibus sed tam necessarios, neque ita eum derelinquere oportet, sed tanto magis accedere. Quod nempe et sorores lazari tunc fecerunt, et non prius desistere rogantes, deprecantes, supplicantes, donec eum uiuum acceperimus. Si enim ita quae secundum nosmetipsos sunt, et quae proximorum sunt, dispensauerimus, et futura uelociter fruemur uita, qua fiat omnes nos potiri gratia, et philanthropia, id est amore hominum, domini nostri iesu christi, cum quo patri gloria, simul cum sancto spiritu, in secula seculorum amen.

Commented [ND36]: [fol.103va]

Commented [ND37]: uel surrexeris *add. super lin.*